



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Officio Cvrati Ad Praxim, Præcipve Circa Repentina, &
Generaliora**

Possevino, Giovanni Battista Bernardino

Mogvntiæ, D.MC.X.

Cap. II. De Sacrificio. Pro his Sacrificiu[m] offerre.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42233

40 DE SACRIFICIO

quæ debentur residenti, sed non quæ
debentur officium, seu horas persol-
uenti.

DE SACRIFICIO.

Caput Secundum.

An Cu-
ratus sa-
crificet
pro popu-
lo.

I.

Quartetur. An Curatus te-
neatur sacrificare pro po-
pulo? Resp. Teneri de iure diuino.
Cum præcepto diuino (ait Conc.
Trid. sess. 23. c. p. de refor.) man-
datum sit omnibus, quibus anima-
rum cura commissa est, oves suas a-
gnoscere, pro his sacrificium offer-
re, &c.

Aduertendum tamen in ali-
quibus Curatis, esse etiam Collegi-
atam, & penes Curatum esse admi-
nistrationem Sacramentorum, o-
mnis vero celebrandi apud Capitu-
lum, tunc cum Capitulum succe-
dat in onore celebrandi, Curatus
erit liber, & Capitulum tenebitur
celebrare.

Quæ-

CAPUT SECUNDUM. 41

2. Quæritur. Quoties Curatus *Curatus*
teneatur sacrificare: Resp. Sermo- *quoties*
nem esse, quando de nulla obliga- *sacrifi-*
tione per tabulas Ecclesiæ constat, *cet.*
& dico in iure non esse determina-
tum ex Nau. c. 25. nu. 134. Tamen
Conc. Trid. fess. 23. c. 14. de reform.
ait; Curet Episcopus, vt ii (loqui-
tur de Sacerdotibus) saltem die-
bus Dominicis & Festis sollemini-
bus, si autem Curam animarum
habuerint, tam frequenter, vt suo
muneri satisfaciant, Missas cele-
brent. Igitur tenebitur celebrare
quoties necessarium fuerit populo,
quod erit omnibus diebus Festis;
quoties danda est benedictio nu-
ptialis, quæ datur cum Missa; quo-
ties est consuetudo sepeliendi mor-
tuum cum Missa, & hoc sub mor-
tali, quia deficit in re graui. Non
celebrare vero secundum consuetu-
dinem Curatorum eiusdem loci, non
credo obligare sub mortali, quia
con-

42 DE SACRIFICIO

consuetudo. quæ dependet à moraliberalitate, qualis est hæc, non obligat. *Rebellus de obligationibus p. 1. lib. 1. q. 5. num. 27.* & omnes.

Aliter or. 3. Sed ADVERTENDVM, An sit ordinatio, a- Episcopi ordinatio, vel præceptum; liter præce- quia præceptum obligabit, ordina- ptum obli- tio verò non item sub mortali, imo gat. si fuerit præceptum, una vel altera transgressio non efficiet mortale, quia cum obliget moraliter, non aliter, quæ est dictum, accipiendū est.

*In Cura- 4. Queritur, An Curatus, vel Capi-
tus applic- tulum, qui stant loco Curati, ut est
et missam, dictū nu. 1. teneatur applicare mis-
sionem populo quando de nulla obli-
gatione ei constat? Resp. Sotum de
iust. l. 9. q. 3. a. p. in medio dicere, eū
teneri ad celebrandum quotidie, si
redditus sint sufficienes ad ipsum
alendum, sinter, vel quater in heb-
domada, pro qualitate reddituum
ad iudicium Episcopi. Tol. vero Inst.
lib. 5. c. 5. ait sufficere, si celebret die-
bus*

bus Dominicis, & Festis, & aliquot
etiam ex dieb⁹ aliis, & tunc secun-
dum opinionem Doctorum tene-
tur applicare populo Missam. Sed
quia est aliud teneri ad dicendum
Missam, ut eam audiant parochia-
ni, aliud verò teneri ad offerendum
pro ipsis, & ex uno aliud non infer-
tur, melius est quod concludat
Franciscus Suarez tomo 3. disput.
86. sec. i. Nullam in hoc certam re-
gulam dari posse, sed consulendam
esse consuetudinem, aut si de ea ni-
hil certi constat, Episcopum debere
in hoc certum aliquid statuere,
quod si hoc non faciat, prudenti ar-
bitrio parochi relinquendū. Nun-
quātamen credo ad hoc obligatum
sub mortali, cū nō constet de tali ob-
ligatione, vel per tabulas Ecclesie,
vel per praeceptum Episcopi, quia in
præiudicium tertij nō est inducēda ob-
ligatio, nisi per claras probations,

quales

44 DE SACRIFICIO

quales non sunt hic, sed sunt potius
coniecturæ, licet rationabiles.

An Cura- 5. *Quæritur.* Quando Curatus te-
tus possit netur celebrare, an possit facere ce-
facere ce- lebrare per alium? *Resp.* Posse, quia
lebrare nullibi contrarium prohibetur: in-
per aliū. tellige prævna, aut altera vice, quia
si hoc esset ad longum tempus, &
ad otium, non credo excusaretur,
iuxta dicta cap. I. num. 10. & II.

*Curatus
rarè cele-
brans, an
excusa-
tus.* 6. An verò Curatus, qui per aliū
facit celebrare quoties opus est,
possit ipse celebrare solum quoties
tenetur aliis quilibet Sacerdos nō
Curatus, nec aliqua obligatione
adstrictus? *Resp.* Nau. c. 25. n. 88.
& Azor. p. lib. 10. cap. 24. q. 1. vlt.
quæres. Excusare à mortali eum,
qui ter in anno celebrat, dum nulla
alia obligatione tenetur, dummo-
do sit sine scandalo. At vix potest
esse sine scandalo in Curato resi-
dente, quia si non resederit, vide-
tur inesse minor causa scandali.

7. *Quæ-*

CAPUT SECUNDUM. 45

7. Queritur. An Curatus possit *An Cura*
bis celebrare eodem die ingruente *tus bis ce-*
necessitate, etiam non sumpta pu- *lebret eo-*
rificatione, per casus recensitos à dem die.
Summisticis. Silu. missa i. q. 7. Nau.
c. 25. nu. 87. Sot. in 4. dist. 13. q. 2.
a. 2. arg. 3. & aliis, & an hoc possit
auctoritate propria, stante tali ne-
cessitate? *Resp.* Sotum ibi docere
non esse in vsu pluries eadem die
celebrare, nisi in die Natalis Domi-
ni, & quando Curatus habet duas
Ecclesias, in quibus yterque popu-
lus solet habere suam Missam. De
Graff. i. p. lib. 2. c. 40. num 3. tenet
cum Soto, Azor item i. p. Inst. lib.
10. c. 24. q. 8. & addit posse præte-
rea bis celebrare, cum sepeliendus
est mortuus, qui sine Missa non se-
pelitur, puta quia ita consuetudo;
& præterea etiam in omnibus casi-
bus recensitis à Summisticis, vbi est
raritas Sacerdotum, maximè si ac-
cedat Episcopi consilium. Credo
dicens

46 DE SACRIFICIO

dicendum? Tunc posse dici duas missas, quando ibi sit talis consuetudo: quod si nulla sit consuetudo, non dicere, nisi consulto Episcopo. Ratio est, quia ista sunt iuris positivi, & in illis consuetudo dat, & tollit iurisdictionem, & causas numeratis à Summis in desuetudinem abierunt.

Curatus quantum excedabit pro dicenda missa. 8. Quæritur. An Curatus teneatur manere iejunus usque ad horam congruentem celebrandi: Resp. Sil. Sacerdos nu. 2 Armil. ibi affirmare. Credo distinguendum. Debere manere, cum est verisimile futurum casum, per quem debeat celebrare, puta quia quis agonizat, & in illo loco statim à morte, si sit hora competens, celebret faciunt proximo. Cum danda est benedictio nuptialis, quæ datur cum Missa. Cum communicandus sit illius, & non adsint particulae, nisi concrecentur à parocho. Sed iste ultimus

CAPUT SECUNDUM. 47

timus calus de raro potest contingere, cum in Curatis communiter particulæ cōseruentur pro viatico. Item tenetur manere iejunus usque ad horam ordinariam loci pro Missa, & hoc in diebus Festis, maximè in villis, ubi necesse est expectare paracos suos venientes ad missam. Intellige omnia, quando curatus est solus in loco, & non habet alium, per quem possit necessitatim oram facere satis.

9. *Quaritur. An Curat⁹ possit sine ministro celebrare?* Resp. Azor i.p.l. 10. c. 29. q. 3. posse, cum grauis necessitas premit, & citat gloss. commun. consensu probatam. Grauis autem necessitas credo erit, quando ipse tenetur celebrare, ut est dictum n. 2. Si vero Curat⁹ sit in loco, ubi nullus ministrum habeat, qui respondere sciatur, & celebret absque necessitate, dummodo habeat, qui viceulos ministret & sit mas, non famina, poterit ipse sibi

An celebre
t sine
ministro,
& quando

sibi

48 DE SACRIFICIO

sibi respondere. Sil. miss. 1. q. 2. not.
2. Sot. dist. 1; . q. 2. a. 5. col. ante fi-
nem. Azor cap. d. q. 2. & tam So-
tus, quām Azor non admittunt fœ-
minam, etiam in necessitate. Vide-
tur autem, quod possit sibi responde-
re, nam rub. Missalis recogniti à
Clemente VIII. cap. 4. ritus seruan-
di in Missa, habet, si minister, vel
qui intersunt celebranti non respo-
deant ad Kyrie eleison, ipse solus no-
uies dicit, & cum quæ dicuntur de
Kyrie eleison, possint etiam intelligi
de Psalmo: Iudicame Deus, &c. &
de alijs, quia omnium eadem ratio,
tutò videtur dicendum ut supra.
Et si adsit qui sciat respondere, sed
non valeat ministrare urceolos pro-
pter chiragram, vel aliud impedimen-
tum, ipse Curatus paterit sibi
ministrare. Deducitur ex Henriq.
lib. q. c. 30. nu. 5. qui hoc concedit,
quandocepit missa, puer qui mini-
strabat discessit, puta ut quereret
vinum,

CAPUT SECUNDUM. 49

vinum, vel aliud, & expectatus per aliquam moram rationabilem, non renuntitur; nam in utroque casu pars estratio sibi ministrandi, consideret tamen pro viribus ab hoc abstinerere, & non condemnare de peccato Curatū, qui ita, etiam sepē ageret, dum esset in loco, in quo non adcesset aliquis, qui sciret respondere, nec aliunde posset haberī, quia recte posset dici, istam necessitatē non habere legem. Et Suarez. tomo. 3. q. 83. disp. 88. sess. 2. in fin. in defectum ministri nescientis respondere docet. Sacerdotem posse praeire dicendo, que veniunt respondenda, & ministrum sequi recitando verba Sacerdotis. Et si quis habeat ministrum, qui male respondeat, puta multa in notabili parte omittat, vel corruptè proferat, celebret, & non curet, quia cum sit error iste frequens, maximè inter idiotas, hactenus de illo dubitantem non vidi.

C

10. Quæ-

*An inter- 10. Queritur, an Curatus possit
rumpenda interrumperemissam? Resp. Missam
missa, & re- posse interruppi, & reassumatur,
assumen- quando dicta Epistola aduenit E-
da. piscopus, vel Princeps, qui vult
Missam. Azor. i. p.lib.10.cap.32.q.*

*3. At Henriq. lib. 9. cap. 30. m. 3.
extendit etiam dicto Euangilio,
& quando etiam aduenit multitu-
do iter faciens. Quantiverò faci-
ant multitudinem, credo non esse
scrupulosè opinandum. Pro de-
cem ego reassumerem, cum nulla
iniuria fiat Sacramento; & credo
tutò posse reassumi ab offertorio
citra. Ratio est, quia quæ præce-
dunt offertorium, non sunt de ne-
cessitate sacrificii, quod constat of-
fertorio, consecratione, & con-
sumptione. Et intra dictum lo-
cum poterit reassumi toties quoti-
es adfuerit, vel superuenerit causa
excusans, ut est dictum, quia stan-
xe dīcta causa iusta, semper iustus*

erit

14. IV. fol. 13. v. 1.

Q. 21.

CAPUT SECUNDUM.

erit effectus. Sed ad hoc necessaria prudentia, & non reassumerem ultra primam vicem, nisi causa superueniens esset maior prima, alias vix cessaret scandalum, aut ad minus admiratio, & ab utroque pro viribus cauendum.

12. *Queritur.* An interrumpenda vnquam Missa, & discedendum ab Altari, puta, pro confessione morientis, vel pro baptizando puerō moriente? *Resp.* Tentanda prius omnia ne discedatur ab Altari. Si Sacerdos est ante canonem, potest discedere. rub. *Miss. de defectibus in ministerio occurrentibus.* Si est post canonem non debet interrumpere. *Azor i.par.lib.10.c.32.* q.i. qui vocat hanc opinionē communē. *Tol. verò Inst. l. 2.c.9.nu.9.* concedit Missam posse interrumpi, quādo verisimile est Sacerdotē occidēdum, si voluerit eam perficere, puta hoste inuadente urbē, Ecclesia

*An inter-
rumpenda
Missa, &
discedendū
ab Altari.*

C 2 ruente,

52 DE SACRIFICIO

ruente, & similibus. Consulerem tamen, Curatum, antequam discederet, admoneret populum de necessaria causa discessus, ne scandalizaretur, vel grauiter admiraretur.

*Quid ages
Curatus,
quando
post cano-
nem inter-
rumpit
Missam.*

In isto tamen casu hostis, vel periculi, potest statim Sacerdos se communicare, relictis reliquis, & discedere. Quod si hoc non potest, poterit discedere, & ferre Sacramentum in corporali; Quod si nec hoc potest, discedat. Tolet. ibi. Sed & si fuerit aggressus, poterit se defendere, cum moderamine inculpatæ tutelæ, & si non excedendo dictum moderamen, occideret aggressorem, deberet Missam perficere, siue esset ante, siue post consecrationem.

*An possit
supercede i
eo n. d. 6.* 13. *Queritur. An Missa possit in-
terrumpi supercedendo, & non dis-
cedendo ab Altari, verbi gratia,
incipere eam hora competenti, &
dicta*

CAPUT SECUNDUM. 53

dicta Epistola expectare ad aliquas horas venientem, & cum venerit perficere eam? Resp. non posse, quia missa est dicenda continuata, & non potest interrumpi, nisi ut est dictum num. superiori. Qui vero supersederet ad breue tempus, non credo peccaret, ratione paruitatis actus.

14. *Queritur.* Quæ pœna sit in- Pœna iner-
terrumpentis
Missam.
terrumpentis missam? Resp. Si ante offertorium interrumpitur ut reassumatur, nullum peccatum, quia permisum. Si interrumpatur sine causa, peccatum esse mortale, & interrumpentem posse excommunicari. Idem si interrumpatur post canonem, sine causis excusantibus, ut est dictum num. 12. & talis potest excommunicari, licet non sit excommunicatus, ut quidam volunt. Azor i. p. lib. 10. cap. 32. q. 1. & 2. Sed Henr. lib. 9. c. 26. n. 3. gl. Q. vult esse suspensum.

C 3

15. *Qua-*

An excom- 15. *Queritur.* An Curatus, qui
municatus ad Altare recordatur se excommu-
nicians in Altaric confi-
teatur. *Queritur.* An Curatus, qui
ad Altare recordatur se excommu-
nicatum, vel in mortali, debeat vo-
care confessarium, cum cum habe-
re possit, & confiteri, cum id sine
infamia possit, ut in Missa cantata
euenire potest? *Resp.* Silu. Euch. 2.
q. 7. affirmare, De Graff. 1. p. lib.
1. c. 12. num. 8. dicit debere vocare
confessarium, Henr. autem lib.
8. cap. 46. num 3. negat, quamvis
commodè, & sine scandalo possit
vocare. Ratio est, quia Concil.
Trid. sess. 13. cap. 7. ait teneri ad
confitendum huiusmodi, quam
primum potest percepta commu-
nione, & non distinguit, si possit,
vel non possit tunc habere copiam
confessarii. Cum qua contritio-
ne Curatus in mortali, & quoties
celebret, vide cap. 5. nu. 35.

*An Missā
dicenda nō
dicto ma-
tutino.* *Queritur.* An Curatus possit
dicere Missam non dicto matuti-
no? *Resp.* Cum virget causa posse,
puta,

CAPUT SECUNDUM. 55

puta, quia pulsata campana, recordatur se non dixisse matutinum, cum magnus vir aduenit volens Missam, cum sepeliendus est mortuus, qui petit Missam, & cum adest omnis alia rationabilis causa, quæ reducitur ad necessitatem. Silu. miss. l. q. 6. not. 4. Azor inst. lib. 10. c. 28. q. 16. 1. p.

An hoc idem possit causa nulla urgente? Resp. Sotum dist. 13. q. 2. a. 2. in fine, & de iust. lib. 10. q. 5. a. 4. concl. 2. affirmare, alios verò negare, sed nec habent improbabilem opinionem Soti. Rubr. miss. Pii V. habet Missa dicatur saltem dicto matutino, At Missale recognitum à Clem. VIII. habet saltem matutino cum laudibus absoluto. Cum tamen Curatus nonsit suæ libertatis, & possit illi in manu sèpè contingere casus, pro quo debeat celebrare, & facere se expectare sit odiosum, si sapio, credo illum rectius

C 4 actus-

36 DE SACRIFICIO

acturum, si in sero precedenti, dixerit matutinum.

Rubrica
missalis in
sub morta-
ti obser-
vanda.

*An vero non obseruare re-
missalis in bricas Missalis sit peccatum, Azor
i.p.lib.20.cap 29.q.6. ait ex rubri-
cis non posse aliquid certi statuere:
affert tamen duas opiniones; unam
affirmantem esse mortalem, alteram
negantem.*

*Quæritur. Qua hora ante diem
possit Curatus dicere Missam pro
communicando infirmo, vide cap.
8. nu. 28.*

*Curatus
quartum
dat cele-
branti pro
ipso.*

17. *Quæritur. An Curatus, qui
facit per alium celebrare, teneatur
dare stipem pro ratione redditu-
um beneficii? Respondet negatiuè
Henriq. lib. 9. cap. 22. sed suffice-
re si det secundum consuetudinem
loci.*

*An Curat.
det pitan-
tias dimi-
nitias aliis*

*Quæritur. An Curatus, qui
habet multas pitantias distribuen-
das pro Missis, possit de illis dimi-
nitias, aliquid sibi retinere? Resp.
Sotum*

CAPUT SECUNDUM. 57

Sotum de iust. lib. 9. q. 3. a. 1. Nau.
cap. 25. num. 91. not. 24. concedere,
dummodo iustum stipendium de-
tur mercenario. Iustū autem tunc
est, cum datur secundum consue-
tudinem loci. At ego consule-
rem abstinendum, quia habet ne-
scio quid negotiationis, vel certè
sordiditatis : excusarem tamen, si
ita esset consuetudo scita, & tole-
rata, ut potest esse in aliquibus Ec-
clesiis, in quibus fit magnus con-
cursus Miserarum dicendarum, ut
euénit ubi fiunt miracula, vel ubi,
propter populi deuotionem, ma-
gnus est concursus.

19. *Quæritur.* An Curatus in sua
Ecclesia admittat Sacerdotem i-
gnotum ad celebrandum, sine lite-
ris commendatiis sui Episcopi?
Resþ. Conc. Trid. sess. 23. cap. 16.
de reform. dicere. Non admittan-
tur ad celebrandum ignoti, sine li-
teris sui Ordinarii. Sic posset

*An admis-
tendus ad
celebratio-
nem sacer-
dos igno-
ratus.*

C 5 PRA-

PRACTICARI. obseruare constitutiones proprii Episcopi, quæ si non adsunt, & tales admittuntur, possent admitti, maximè celebrantes ex deuotione; quia in istis vix quidquam malum posset inesse. Si vero celebrare volentes querunt stipem, ego non admitterem, nisi dilectionis Episcopi, vel Vicarii.

An particulae consecrandae sint ad offertorium cum Hostia offerri, offerenda. an sufficiat eas consecrare, absque quod offerantur? *Resp.* Et dico videlicet offerri, & non offerri, & si vis esse offerendas, credo sufficere si sint in Altari tempore offertorii, cum animo eas consecrandi suo tempore.

Nota tamen propter difficultatem contingentem in collectione fragmentorum dum locantur super corporale, melius esse particulas.

culas ponere in pyxide, etiam cum consecratis, & tempore consecrationis dirigere intentionem super non consecratas. Sitamen ita semper egeris, periculum est, ne antiqua fragmenta corrumpantur, dum numquam renouantur. Igitur potest fieri, ut est dictum raro, & cum cautela, ne fragmenta inucterascant.

21. *Queritur. Quomodo se habet Curatus in denunciandis ex qua de Altari? Res. Denuncianda esse in dupli differentia. Quædam enim denunciat absque alia licentia, seu iussione, & quædam non debet denunciare absq; Episcopi licentia.*

Quæ denunciat absque licentia, sunt item in dupli differentia. Quædam enim tenetur denunciare, vt dies Festos matrimonia celebranda, & dies ieiuniorum; Et defiendo in istis credo

C 6 peccata

60 DE SACRIFICIO

peccare mortaliter, quia deficit in re graui, que sub mortali populus tenetur scire. Alia denunciat sine iussione, sed non tenetur, ut res amissas, seu inuentas; Desideria pia particularium, puta quod quidam velit fabricare in Ecclesia, si populus adiuuet, & similia. In quibus bonum est parochum esse facilem, dummodo nimia denunciatio similium, non reddat officium contemptibile: Ideo prudens arbitrabitur; deficiendo vero citra damnum verisimile tertij, non peccabit plusquam venialiter, cum omnia sint de materia leui: si vero ex denunciatione omissa verisimile sit damnum graue sequuturum tertio (quod de raro potest contingere) erit mortale, quod bonus & prudens arbitrabitur.

Quae vero non denunciat absq; Episcopi licentia sunt. Citationes, & præcepta & similia iudici-

CAPVT SECUNDVM. 61

iudicialia, excommunicationes, &
indulgentias etiam Papales. Ratio
est, non quod similia manantia à
Paparobur suum sortiantur à pla-
cito Episcopi, sed quod Episcopus
examinet, an sint falsa, & quod ta-
lis sit usus universalis, alioquin
multi deceptores pro voto multa a-
gerent. Resignationes beneficio-
rum. Azor 2. p. lib. 7. cap. 24. q. 8.
Quæstuarios etiam non com-
mendat, qui verò sint quæstuarii,
vide Silu. quæstuarii. Conc. Trid.
sess. 21. cap. 9. de reform. hæc autem
intellige cum hac limitatione, si
quærunt pro suo particulari vietū
non potes eos prohibere, nec Epi-
scopi unquam eos prohibent; si ve-
rò quærunt pro Collegio, puta: Per
il tale Hospitalē, Conuento, o Chie-
sa, Episcopi votum est necessarium,
ex Conc. ibi: In hoc tamen obser-
ua constitutiones tui Episcopi,
quia in quibusdam Episcopatibus
admit-

62 DE SACRIFICIO

admittuntur ad quæstum utroque modo sine licentia. Et si non prohibueris, dum non habueris aliter in mandatis ab Episcopo, non peccabis. In uniuersum tamē alios mendicantes est melius prohibere, quia occasione istorum fideles non ita veraciter miserentur indigentibus. Silu. Quæstuarii, per totum. Si autem aliter habueris in mandatis, iussa exequere, & diligenter caue, quia saepè videbis quosdam male feriatos varia simulatione fideles decipere. Ex hoc genere sunt, qui querunt pro locis ignotis, pro locis valde remotis, ad quæ non est credibile oblata deferri; *Ballarini, Schiani fugiti di galera, Gudei battezzati, Heretici conuertiti, & alii variis nominibus nuncupati, qui querunt pro redemptione suoru apud Turcas captiuorum.* Vide coru litteras cōmendatitias quæ si sunt confectæ à multis annis, habeas.

CAPUT SECUNDUM. 63

beas illos suspectos, nam hodie vagabundi hoc moda negotiantur. Nunquam tamen prohibeas quin victimum querant. Et omnia dicta intelliguntur ita practicanda ubi non adest Episcopus, nec Vicarius, ut in oppidis, quia in Civitatibus relinquenda est cura Episcopo. Eodem modo prohibeas, qui mendicando ferunt aliquas imagines de osculandas, sed & obserua constitutiones tui Episcopi. In aliquibus Episcopatibus iubentur Curae huiusmodi ab istis auferre. Anidem agendum sit cum regularibus ex quatuor ordinibus mendicantibus, & aliis eorum priuilegio gaudentibus, cum pro religione quaerunt, Consule Episcopū, & iussa exequere, si nihil habes contra, bene permittis, dummodo verè sint regulares, non vagabundi.

22. Quares forte, An sit peccatum detegere

64 DE SACRIFICIO

An dete-
ctio vitii
vagabundi
dicenda.

detegere occultum vitium vagabundi, verbi gratia, vagatur quis verè otiosus, an sit peccatum detegere istius simulationem, qua se pauperem fingit? Respond. Sot. de Iust. lib. 5.q. 10. art. 2. in medio, & Lessius de iustitia, lib. 2. cap. 11. dub. 10. not. 63. dicere, quando simulatio est sine damno tertii non posse sine peccato occultum vitiū talis aperire. Videtur dicendum, si simulatio sit sine damno tertii, puta, quia iste querens verè pauper est, & nequit, nisi ficta paupertate viuere, malum esse eius simulationem aperire. Si vero iste querens, est quidem pauper, sed potest suo labore viuere, at otio illo torpescit, credo tunc posse detegi. Ratio est, quia isti sunt in causa, ut fideles postea non miserantur verè indigentibus, & ita eos damnificant. Deinde Concil. Trid. sess. 23. cap. 7. de reform. matrim. babet, Magistratus etiam seculares her-

CAPUT SECUNDUM. 69

res hortatur (loquitur de Concilio) ut eos (id est, vagabundos, quales sunt dicti) severè coerceant, & Conc. non tam strictè ista hortarentur, si essent tolerabilia. Præterea isti sunt pessimi Christiani, blasphemis, ludo, & peccatis pleni, & si diceres inter eos inueniri aliquos, qui sapiant hæresim, fortè non errares, nam & vidi in quadragesima non carentes cibo edere carnes. Ad hæc sèpè ita fingunt extremam necessitatem, ut eos videntes non leuiter credant obligari ad eos succurrentes, & alii multum versantur in ancipi, luctante, & relucentia conscientia, quod non raro vidi, quod certè non est leue damnum tertii.

23. Nota. In omni denunciatio-
ne quæ facienda est iussu Episcopi,
habendam esse facultatem in scri-
ptis, & reponendam ad verifican-
das de-

*Denuncia-
tio si iube-
atur fit per*

66 DESACRIFICO

scriptarē.

das denunciationis commissio-
nes si unquam opus fuerit.

An Cura. 24. Quæritur. An quādo Episco-
pus obediens p' iubet aliqua denūciare, Curatus
sub morta- teneatur obedire sub mortali? *Resp.*
lis.

Teneri, cum res sint seriæ, & in du-
bio Curatus debet iudicare eas se-
riias, & obedire. *Sil.* obedientia. q. 7.

Mundicia 25. Quæritur. Quam mundicia Cu-
*rum sa-*ratus cum vestibus, & instrumen-
tis armis, tis sacris sacrificabit? *Resp.* Nul-
lam mundiciam in servitio Dei,
esse, respectu Maiestatis illius, suf-
ficientem, à peccato tamen excusa-
bit ea, quæ per Episcopum fuerit
approbata, & non est ultrascrupu-
lis vacandum, quia non est credi-
bile Episcopum in hoc deficere. Si
nihil decernat ea mundicia est suf-
ficiens, qua boni vtuntur. Certè
vituperabile est habere camisum
sordidiorum industrio sordido, cor-
porale sordidius sudario immundo,
mappas Altaris propria robalia.

At quis

CABVT SECUNDVM. 67

At quia s̄pē contingit ob pauperatatem Ecclesie carentis corporalibus, ipsa corporalia usū nigrescere ex frictione patent, dum fragmēta colligantur.

26. Dum igit̄ur nequis munda habere, accipe scissuras illas, quae -
superficiunt ex hostiis aptatis, & illis corporale
fricā nigredinē illā, & auferetur. Corporale
quomodo
conserue-
tur mun-
dum.
Sed validi operabitur interior pars
mollis pānis ordinarii. Porrō si scrupulis urgeris, antē frictionē, poteris
super sacrariū excutere corporale,
ut si forte insint fragmēta, delidant
in illo loco mūdo. Sed nec hoc necessariū credo, sicuti nec in sacrariū
reponere micas illas, quæ ex frictio-
ne nigredinis illi superfluerūt. Pote-
ris & uti corporali nunc ex una,
nunc ex altera parte inuerso, ut
mundum habeas, nec itē scrupulis
cedendum, nec pro versione fra-
gmenta, si quæ insint, decidāt, quia
credo merum scrupulum, nam &
quando

68 DE SACRIFICIO

quando lauantur , si fragmenta insint , decidunt , & tamen nullus dicit excutienda prius corporalia in loco mundo.

*Calix quo
modo mihi
derat.*

27. Poteſt etiam euenire , ut calix continuo uſu exterius fordeſcat , poterit & ita fordes abluere . Lauta lixiuio calido , deinde aqua pura iterum lauta , pone ad solem , ut exſicetur , deinde panuo linea albo aſterge , & erit tanquam nouus . Et hoc ſufficit ſemel in anno .

*Missas in-
ſolitas fu-
niūt Missæ inſolite ex petitione a-
gias.*

28. Caueat Curatus , quando veſſolitas fu- niūt Missæ inſolite ex petitione a- gias . dicēdæ. Iputa , quia ſunt Miſſæ , vel de Sancto ignoto , vel ad rem , qua superstitionem ſapiat , ut contigit mihi ſemel , petiit enim quidam certas Miſſas , unam pro omnibus in aquis ſubmersis , aliam pro omnibus necatis , aliam pro ſtultis , & alias quasdam ſimiles : tunc Curatus interroget , & videbit ad superstitionem tendere , ſicut accidit

CAPUT SECUNDUM. 69

accidit mihi, cum enim nouitas
rei me afficeret & interrogasset ad
quid cuperet tales Missas, respon-
dit petens ne filius meus, qui est in
carcere, habeat torturam, de qua
dubitabat, & ita caruit Missis. Et
tu fac similiter.

29. Caveat etiam Curatus ne
benedicat uestes sacras, nec deci- Non bene-
piatur, eo quod in Missalibus eorū dicat uesti-
benedictio reperiatur. Imo nec
hanc facultatem potest dare Epi-
scopus simplici Sacerdoti: ita mihi
respondit Congregatio Rituum, sub
Illustrissimo Cardinali de Arago-
nia, Anno 1600. Et si reficiendae es-
sent, caveat ne destruat ita, quod
primam formam mutent, ita ve-
dunt sunt destructae sint in taliforma,
quod eis uti non posset in
Missa, nam tunc benedictionem a-
mittunt, ita multi Doctores.

30. An vero poscit Curatus, qui
habet planetam nouam, & non po- Notandum
test

70 DE SACRIFICIO

est curare benedici, quia longè distat Episcopus, supponere nouam non benedictam veteri benedictæ, veletiam eam illi insuere, & tunc postquam celebrauerit cum utraque, denuo nouam à veteri separare, & uti noua tamquam benedicta? Resp. Me vidisse ita actum, sed qua ratione nescio, hoc unum scio, haecenus non inuenisse similia usu benedici, & ideo affirmare Curatum non posse agere, ut dicitur, credo tutum.

An eas ad 31. Queritur. An Curatus valde debilis possit sacris vestibus indutus, ire cum baculo ad Altare procelebratione, cum aliter illo nequeat ire. Resp. Tol. Inst. lib. 1. cap. §8. num. 2. Sacerdotem, sine baculo non valenter ambulare, esse irregularē, durante dicta impossibilitate, ideo non debere sic ad Altare accedere: si verò sit quidem debilis, sed & egressine baculo possit Altari

CAPUT SECUNDUM. 71

tari accedere, non esse irregularem.
At omnia incommoda superantur,
si Curatus se ad Altare sacris ve-
stibus induat, & non refert quo-
modocunque ad Altare accesserit,
dummodo dum est ibi, sine baculo
possit officio suo fungi.

32. Occasione dictorum memine-
rit Curatus abstinere à portatio- Indecentia
ne baculi in publicis processioni- in gestu &
bus, à portatione pileoli linei in missis.
Ecclesia, dum sacras uestes induit,
dum eisdem indutus in publicum
procedit adiectione brachio-
rum & ab omni alio simili-
li indecenti gestu.



D.G.